



45

45.
41

ORATIO PANEGYRICA
IN
HAMBURGI
LAUDEM ET ME-
MORIAM,

Solemni ritu habita,

IN
ELECTORALI SAXONUM AD ALBIM
ACAD. WITTEBERGENSI,
Ipso die Petr. Cathedr.

à
LAURENTIO PETRI,
HAMBURGENSI

*ANNO
cIc Ic XCI.*



WITTEBERGÆ,
Prelo FINCELIANO.

ORATIO PANEGYRICA

AD M. A. H.
I. A. D. E. M. T. M. E.
DEO,
PATERIAE
&
PARENTI.



¶¶¶ /

Welche nach gehaltener Rede unter einer
wohflingenden Music abgesungen
worden.

I.

Liebstes Hamburg / Lust der Erden /
L Pflegerin der halben Welt /
Solte ausgesprochen werden /
Und vollkommen fürgestellt /
Was die Fama mit sich bringt /
Und was deinen grossen Nahmen
Über alle Himmelschwingt.

II.

Müste selbst die Worte führen
Der so hochberedte Mann /
Welcher aller Herzen rühren
Gleich den Donnerkeilen kan /
Aus dem Grabe müste gehn
Tullius, und viele Jahre
Deine Wunderwerke sehn.

III.

Es kan deiner Sonnen-Strahlen /
Dein so helles Angesicht
Auch Apelles selbst nicht mahlen /
Er erblasst für deinem Licht:
Drumb was dich so hoch gesetzt /
Wird durch meine duncle Farben
An den alten Ruhm verlegt.

Der

IV.

Der so deine goldne Schäze
Nur mit meinem Staube miszt/
Siehet leicht / dass ein Geschwärze
Alle meine Arbeit ist;
Etwas habe ich gesagt/
Aber was? mit meiner Rede
Ist es lang nicht ausgemacht.

V.

Du bist des Europa Freude/
Schönster Städte Königin/
Hoher Fürsten Augenweide/
Vieler Länder Lehrerin/
Schauplatz aller Liebligkeit/
Mutter aller Handels-Leuthe/
Zuversicht bedrängter Zeit.

VI.

Ein Begriff der besten Sachen/
So ganz Deutschland haben kan/
Was Lässt/ Heer und Erde machen/
Hängt dir Ehrenzeichen an;
Und was sonst zu melden ist/
Gebe ich mit diesem Worte/
Dass du unvergleichlich bist.





I. N. J.

RECTOR MAGNIFICE,

Per-Illustris ac Generosissime

LIBER BARO,

PATRES ACADEMIÆ CON-
SCRIPTI,

VIRI summè Reverendi ,

Consultissimi, Experientissimi, Excel-
lentissimi, Amplissimique, AUDITO-

RES omnium Ordinum Gravissimi,

DNI. Patroni, Præceptores ac Fautores
observandi; Tuqve Generis antiqui-

tate, Virtutibus & Eruditione Nobis-

lisssima Commilitonum

Concio.

Datriæ amorem brutis qvoque
animantibus Natura, rerum
parens, etiam ingeneravit.
Suarepetunt præsepio & sta-
bula constanter armentorum greges; a-

A ves

vesnidos repetunt, cubilia sequuntur sua
feræ: quidni Patriam, quæ una omnes
charitates omnium complectitur, & a-
ment seriò, & laudibus exornent optimi
piissimiq; Cives? Huic ortum, huic cæli
lumen atque spiritum debemus; quidni
sanguinem, si salus exigat ipsius, atque
vitam? Dulce ac decorum quippe dixit
Sapiens, pro illa mori; quidni etiam di-
cere, aut commentari? Omnis generis
præsidia & ornamenta conferenda huc,
ut grati animi in patriam officiis certe-
mus. Nihil amænissimæ jucunditatis de-
tinere potuit Ulyssem, contra quaslibet
illecebras invictum alias Heroa, qui ad
unam suam Ithacam, in saxis nidulum
aspernum, frequenter suspiraret, &
vel fumum ejus cernere fulgentem, pro
non minima felicitatis parte numeraret.
Nemo igitur non colit Patriam devotus
Patriæ, potissimum illustri, & ingenti-
bus nobilitatæ dotibus. De Lucio Junio
Bruto Romanorum memorant Anna-
les, simileum cum Tarquiniiis profectum
Delphos, id responsi retulisse: Regnati-
rum,

rum, quisquis matrem primus osculo sa-
lutarus esset. Nec mora, simulantem
Iapsūs alicujus speciem, communimatri,
Terræ osculum fixisse, cum egrederetur
navi, sectantibus compendia viarum in-
terim Tarquinii. Nam illo ab hoc tempo-
re, quo consilii maturioris compos, parti-
um satagere mearum studui, precatus
sum ab immortali Deo, ut, si quid in me
bonorum indulgentia Naturæ (quam
novercam mibi quidem contigisse fateor
ac lubens) vel charissimorum Præcepto-
rum fida contulisset informatio, id totum
calentibus non alieno sole terris, sed Pa-
triæ, sed Urbi Hamburgium cultissi-
mæ impenderetur!

Hodiernus ipse dies monitor idemque
debiti exactor mei est, quo intrabiduum,
anniversaria Electionis Senatoriæ so-
lemnia Hamburgi celebrantur. Hoc ni-
mirumeunt in suffragia CONSCRI-
PTI PATRES, CONSULES MA-
GNIFICI, ut Capita regimini, Justitiæ
Præfectos & Prætores, Vectigalium,
Redituum, Reique publicæ et totius Cura-
to-

tores legant, sistant, evehant, per tesseras
chartaceas schedularum, ut securius non
tantum, sed & incorruptius negotiis pars
maximi conficiatur. Ne omnino lateat
in publico prudentia Imperialis ac poten-
tioris Urbis, brevificeat narrationem
exponere. Quatuor & viginti Corporis
Amplissimi, Consulibus inclusis, mem-
bra, ex eruditorum numero duodecim,
& totidem à Mercatorum ordine, consti-
tuunt Gravissimum Senatum. Eligitur
è tribu Cívium is Consul, qui peritus sit
navalis rei, & imprimis publici egregii.
Aequalitas in eligendo observatur, nisi
quòd officio Præsidis ornetur tantum li-
teratus. Eliguntur Senatores, Viri pii,
veritatis & justitiae amantes, avaritiae
imprimis hostes, gnari iurium ac privile-
giorum Statūs. Ordinariè affectet nemo
dignitatem Senatoriam ibidem, nisi an-
num adimpleverit tricesimum. Nullus
Senatorum ulli Principum aut Domino-
rum sacramenti vinculo sit obligatus.
Pater, filius, aut gener, fratres itidem
germanine sint simul spectatissimi Ordi-
nis

nis Collegæ. Gradu tertio , aut propiore
necessarii, si quinque alios jam in Senatu
habeant, ne novi elegantur homines. Nec
eligendus unquam Consul, qui necessitudi-
ne, in gradu altero conjunctus est Consuli-
bus duobus. O statuta saluberrima! Ole-
ges consuetudinesq; Rebus benè constitutis
publicis religiosè imitandas! Ego autem,
qui & Brutii nomen deprecor, & animum
& Viri merita nequaquam mibi arrogare
ausim, in eo interim exemplum ejus imitari
cupio, ut auspicii felicioris hodiè captandi
gratiâ, de Patriæ suavissimæ memoria non
pessimè mererer, osculo votorum & obsequi-
orum. Quoddum opus molior, ab omni elo-
quentiæ gloria & laude alienus, vehemen-
tere quidem & serio, sed nimis sero vereor,
nemea ipso in principio deficiat balbuties,
& argumenti gravitas dicturum opprimat.
Hamburgi enim vel antiquitatem, vel po-
tentiam opesq; domi pariter ac foris cla-
ram, vel Senatus Populiq; in divinis & hu-
manis ordinandis sapientiam ex merito
laudare velle, vires supergreditur non meas
tantum, sed & Oratorum disertissimorum.
Sola quoque Hamburgensis nominis inda-

B go

go tot negotia sublimibus & cætera exercitatoribus ingenii facesserit, ut, quod se demum verterent, non invenirent facile. Hæc postquam singula & universa apud animum perpenderem, temeritudinis occæpi postulare memet ipsum, & damnare ardua laboris tanti. Nihilominus suggesta pietas solatium pro exornanda Patria, & fides illi debita huc illuc nutabundum fulciit. Parentibus, & quieorum locos sunt, Patronis etsi dignum solvi nullum potest pretium, munuscula oblatata tamen, licet tenuissimi valoris, hactenus probantur, quando simplici piâq' mente dedicantur. Quorum recordatio cum fixis insita radicibus inhæreat, profectò sterile in solum ja et a videantur semina, ni meis efflorescant vocibus, & fructus, quanquam immaturos adhuc, ferre allaborent.

Memorabo itaque vel solo indice HAMBURGI mei dotes, & non nihil conferam ad laudes Urbis inclitæ, adumbraturus rudi penicillo. Vos, RECTOR MAGNIFICE, Illustris admodum Generosissimeq; LIBER BARO, PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI, Viriomnium Ordi-

dinum Excellentissimi, Honoratissimique
AUDITORES, Vosque Genere, virtuti-
bus ac eruditione Nobilissimi Commilito-
nes, gratiam benevolentiamque mihi ve-
stram, breve temporis adspatium, compro-
bate!

In Hamburgi vestigando nomine non pu-
dit solicitam navare operam insignes fa-
mâ meritisque Viros. Plerique ab Ham-
mone Jove (cujus ibi quondam statua ere-
cta, dedicata sacro cultui, dejecta postmo-
dum à Carolo Magno) nominis originem
deducunt cum Conrado Celte, Andrea
Althamero, Francisco Irenico & aliis.
Hammonem tamen Jovem in his agnitus
fuisse Regionibus, cum nulla prorsus ex-
tent monumenta, maximè in rebus gestis
Caroli, precariò Franciscus Goultman,
Anglicanus Scriptor, nupero repetiit in
Lexico. Albertus Krantzius ab Hama, pu-
gili è gente Saxonum clarissimo, quem Star-
caterus Danus hic occiderit certamine con-
gressus singulari, arguit. Historiam velfa-
bulam post alios, Johannes Magnus retu-
lit in Gothico-Sveonicis. Cosmographus
Munsterus & Goropius Becanus à salitis
carni-

carnibus suillis atque fumo induratis,
id est, pernis nostram derivavit Patriam.
Fuisse enim, ait, olim celeberrimum porci-
næ carnis & salsamentorum plurium em-
porium. Qvod, ut non inficiar de Seqvanis
ad Rhenum, optima suilla salsamenta Ro-
mam, tempore Augusti, perferentibus,
Strabonis, nobilissimi Geographorum, mo-
veor auctoritate; De Cambriis Cim-
brisq; tamen nihil unquam horum videoas
relatum. Saurius in Theatro Urbium, &
Joannes Isaacius Pontanus in descriptione
Daniæ à saltu & agrorum sepimento pro-
babilis Hamburgum petere videntur.
Ham quippe sensu Germanorum veterum
in Holsatia, Frisia & VVestphalia signifi-
cavit Sylvam agrorumque tractum talem,
qualis inter Alstria & Billam flumina:
unde qui meridiem ex una parte spectat,
Süder-Ham / & qui septentrionem respi-
cit, der Norder-Ham vocatur in Dith-
marsia, superiori jam tum seculo. Cisne-
rus Nicolaus, magni nominis Jure Con-
sultus & Historicus ad Krantzii Saxoniam
præfatione, Magnifico Senatui Hambur-
gensis Reipublicæ inscriptâ memorabili,
al-

allaborabat omni modout, Ocellū hunc Germaniæ, quæ Occidens occurrit, & in Oceanum Germanicum exonerat se Albis noster, à pescatoriis retis genere, quod Ham & Hamen appellabant Anglo-Saxones, deducere. Piraticæ nimirūm olim dediti non Franci modò, sed & Saxones antiqui, sub Valentiniano & Valente Imperatoribus, vicinam maria, usq; in Atlanticum, myoparonibus & lembis pescatoriis deprædabantur. Testis in remeame est Eutropius in vita Diocletiani, & Sidonius Apollinaris quædam ad Namatium epistolâ: Saxonum, inquiens, quot remiges videris, totidem te cernere putas Archipiratas; ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari. Hostis est omni hoste truculentior, improvisus aggreditur, propositus elabitur: spernit objectos, sternit incautos: si sequatur, intercipit, si fugiat, evadit. Exercent illum naufragia, non terrent. Est eis quædam cum pelagi discriminibus non notitia solùm, sed familiaritas; namque ipsa, si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos, hinc prospici occupaturos vetat. In medio fluctuum scopulorumq; confragosorum spe superventus læti periclitantur.

C) tur.

tur. Qvi locus, cùm notatu sit dignissimus,
Et mores Saxonum nostrorum veterum e-
gregiè illustret, imperare mihi nequeo, qvin
reliqua Sidonii adducam. In Judiciis qua-
les fuerint, inde patet, qvod domum vicini
spoliare, abditum prodere, focum violare,
ipsi habitum sit capitale; si inciderint con-
troversiæ, non irascantur modo implacabi-
li: imò à concertatione & vulneribus ad
eadem redeant convivia, & jungant dex-
tras. Et, ne vindictacum dedecore, aut per-
nicie progrediatur, & amicis & hospitibus
detur causæ cognitio, quâ acqvescant. Non
stare promissis adeò probrosum, ut apud eos
plus valeat promittere, quam alibi jurare.
Nam fidem non servantem perpetuò ope-
runt. Cum perjuro nemo sedeat, nemo ci-
bim capiat, nemo sub eodem tecto habitet,
Qui id faciat, ignominia simili notetur;
pacis tempore cogeretur ire in exilium, bel-
li, plecteretur capite. Supplicia eorum sunt
Gladius, Furca, Rota, Palus, Forpex, Vir-
gæ, Ignes, Aquæ. In protentas hastas incur-
rere, castrense: alligari nudum, carpen-
dum fluctibus, nauticum est. In funeribus
prosequendis diligentissimi, memoriam su-
orum religiosè colunt; monumenta ambi-
tiose

tiosè non extruunt, nisi summis Viris, lapi-
de imposito, aut tumbâ in altum erectâ.

Quid de Cimbrorum Saxonumque mo-
ribus, ut erant olim, asperis disertiùs aper-
tiùsve dici potuisset? Esto igitur, sint ab ha-
mando & ab hamo dicti prisci accolæ aut
incolæ Hamburgi; sicut pariter denomi-
nati Angli, Angelive sunt ab Angel, An-
geln in vicinâ Regione Angria. Vox Burgi
verò monimentum alias, Vegetio castellum,
velut Asciburgium in Rheni ripa Tacito
vocatur, congregatio domorum. Hæc de
nomine.

Originem si repetamus altius, ad Caro-
liostius Magni temporare regrediendu[m] erit.

De hoc Krantzius testatur in Saxoniâ ^{lib. 2. cap.}
^{17. § 20.} præ-
clarè, Karolum respectum habuisse singu-
larem (ita enim loquitur) in Hambur-
gum, locum scilicet, quem destinârit facere
Aqilonarium omnium Regionum Caput
ac Metropolim. Id certum, seculo post Chri-
stum natum, si non septimo, octavo tamen
castrum celebre ad Albim extitisse, quod à
VVilzis barbaris destructum, restauratum
fortius, à fortissimo Heroë fuit Carolo. Ab
Obotritis vice altera post obitum Ottonis ^{Adelm.}
^{in Annal.} M. fædè devastatum cremabatur. Domi-
nos

nos expertum varios videlicet Hambur-
gum, diu Nordalbingiæ Regulis, & inter
eos Albioniparuit, qvi VVittekindi M.
patruelis, unacum eodem transiit ad Chri-
stianasacrafelicissimè conversus. Davidi

^{Chytra l.} in Saxonia Chytræo haud assentior pro-
^{2. sub fin.} pterea, qvi, non nisi collem, cui nunc Petri-
num Cathedrale Templum inædificatum
est, attribuit, ætate Carolinâ. Largior hoc
interim, Vandaliæ oppidum Hamburgum
tenebris plusquam Cimmeriis tunc adhuc
involutum, nulla ante Carolum & filium
ipsius Ludovicum Pium sacra Christiana
admississe. Primus ille hic Ecclesiæ Pasto-
rem dedit Heridagum, & Udonem Du-
cem cum præsidio constituit.

Deinde Nordalbingis rebellantibus, cùm
in Italia abesset, redux factus multa Saxon-
um millia in Flandriam Brabantiamq;
transtulit. Sexennio post Anno Christi 810.
Religionis Christianæ odio commoti Hene-
ti vicini expugnârunt locum afflictissimum
& incenderunt. Sub hæc tempora Ansgari-
us, Corbejensis Monachus, fervore dila-
tandi per Septentrionis Regiones, Evan-
gelii, delatus huc, in Dania rejectus, Sveo-
nes invisit posteà, divinis cultibus ampli-
fican-

ficandis ibi auspiciatiūs incubuit. Minden-
se Chronicon Hammonis Jovis castro, sive
Hamborg (uti ibidem audit) septimam Sa-
xoniæ Ecclesiam fundatam vindicat, ad
Annum Christi 798. qvo Ecclesiæ Bremen-
sifuerit unita sub Pontifice Nicolao II. mi-
nisterio Anscharii beati, qui à LUDOVICO
Cæsare Septentrionis declaratus est Archi-
episcopus, & confirmatus à Gregorio II.
submittente illi pallium. Henricus V Volter
à Meibomio illustrinuper demum publi-
catus, testis est (in Chronicis Bremensibus
ad A.C. 865. qvō relatus inter Divos legitur
Anscharius à secundo Nicolao Papa;) qvā
quartum jam Episcopum fuisse apud Ham-
burgenses hunc Anscharium. Mox iterum
oblitus velut sui, decimum & sextum nomi-
nat Archiepiscopum Ecclesiæ ejusdem loci:
qvæ qvomodò concilianda sint, qvīcunq; ve
volent, viderint. Id nobis sufficit, è Transal-
binis populis, Holtzatis atq; Thietmars-
gois (veluti Adamus eos nominat Bremen-
sis) nobiliores reliquis, Stormarios fuisse
visos, qvibus in castello Hamaborg præfi-
ceretur tantus, & tam sanctus Præsul; qvo
de plura retulit Adamus Thraciger in ma-
nuscripto Hamburgensi Chronico, & proli-

xissimè laudandg in frā nobis iterū Lambecius in Originibus. Scientiā ornatus omni, miraculorum famā inclytus, ac visionibus cœlestibus gavisus, plurima & magna sanctitatis opera patrando, mortuus Anscharius est Bremæ, & sepultus in majori Templo ad altare: quo de plura referunt Pontificum decreta. Quot verò propter Christi gloriam fidemq; passum fuerit injurias Hamburgum nobile, illius fata comprobant. Enumerat Angelius à VV.

L 3. Rer.
Hanseat.
c. 17. &
seqq. denhagen, paullum alias iniquior Hamburgo, intra seculi unius spatiū, ab Henetis vastatum sexies, & exustum maximè fuisse. Quanquam enim jam tūm Imperator sine pari Karolus secundò in Saxoniam rebellem rediens Archiepiscopatum Hamburgensem pro Septentrione universo meditaretur secum, res successit tamen caruit; quod Hamburgenses (verba sunt Wolteri) ex vicinitate barbarorum loporum adeò aggressibus paterent. Factum interim, ut sub Nicolao II. Pontifice Archiepiscopus Bremensis duodecimus nonusq; Hamburgensium Unvanus Civitatem renovaret quasi & Canonicos duodecim præficeret divinis ibi cultibus, & conver-

tendis

tendis infidelibus. In meliorem adhuc re-
fingebat Statum Reipublicæ Ecclesiæque
Hamburgensis Beselinus, nomine alio vo-
catus quoque Alabrandus duodecimus Ar-
chiepiscopus, qui & Bremensem civitatem
cinxit mœnibus, & Hamburgense mona-
sterium, quod erat ante ligneum, quadrato
lapide exstruxit, additis ibidem turribus
ac propugnaculis. Pax magna illo tempo-
reflorebat apud Nordalbingos, sic, ut Re-
ges Daniæ ac Sveciæ, & Principes Slavo-
vorum in vicinia pacatè viverent cum
Hamburgensibus. Sub Archiepiscopo Bre-
mensi Himberto, circa A.C. 1112. tempore
Henrici V. Cæsaris Hamburgum Slavi in-
vadentes denuò deripuerunt, & Gotfri-
dum Comitem, istius terræ dominum, inter-
fecerunt. Paullò post igitur Luderus, seu
Lotharius, Imperator factus, Stormario-
rum Comitatum Seniori dederat Adol-
pho, Comiti de Schowenborg, quia (verbis
utor Chronicæ Bremensis) Feudum est Sa-
xoniæ Ducum. Qvemilli observabunt lo-
cum memorabilem, qui cum Imperio Ro-
mano Jura Civitatis maximè conjuncta
volunt. Qvod si ita est, cur Cyriacus Span-
genbergius, Lerbekii secutus fidem in hi-
sto-

istoria Comitum Schawenburgensium, asseruit, in feudum Civitatem Hamburgensem Ecclesiæ Bremensi tradere aut porrigere debuisse? Absit, absit (ita exclamare

liceat cum eruditi orbis cymbalo Lambe-

lib. 2 Rer. Hamb. cum noster esset, nostro,) ut quis credat,

p. 146.

Urbem Hamburgensem Ecclesiæ Bremen-

sis beneficium fuisse unquam, idèòque vel

Saxoniæ Duces, vel Holsatiæ Comites, ut

bonâ fide illam possiderent, ullâ (Bremen-

sium) Archiepiscoporum concessione indi-

guisse. Ut hoc non manifestius appareat,

post Hamburgensem, huc usque ex Scri-

ptoribus antiquis, explicata sacra, dabo il-

lud operæ viriliter, ut vindicetur etiam ci-

vilis, vestrâ, AUDITORES, omnium ordi-

num Honoratissimi, cum pace, status.

Haud abs re mirari liceat, qui factum,

quod in enarrandis rebus maximis tam le-

vi brachio vix summa attingendo capita,

immani saltu ruerent à Magni Caroli, ad

Ottonis Magni tempora. Deinde dubita-

rent, immediatè ad Imperium referri opor-

tere Urbem. Inter hos Vir summi nominis

Tom. I. Jur. publ. lib. 7. cap. 23. Limnæus fuit, qui videri, ubi de Hambur-

go egit, potest. Mibi cum Davide nunc

Chytræo transigendum est negotium. Sic

ille

ille, de Hamburgoscribens: Politicum Ur-
bis imperium ad Hermannum Billin-
gum, quem Duce in inferioris Saxoniæ Ot-
to I. creaverat, translatum est. Betzelinus
(quod supra dixi sacro & supremo Præsu-
le) oppidum Hamburgum muro, duodecim
turribus distincto, circumdedit, A.D. 1046.
Albertus, Comes Bavanicus, Templum
Hamburgi ex lapidibus ædificare instituit.
Bernhardus Dux Saxoniæ Hamburgi ar-
cem, primum ad Elistrum, ubi jam Civita-
tis equile est, deinde ad confluentem Elistri
& Albi, die Hienburg extruxit; unde ini-
tium est novæ urbis, in qua Dux Saxoniæ
aulam habuit: ut in veteri, Archiepiscopus
Liemarus; sub quo bis, uno anno, à Vanda-
lis Hamburgum cremabatur. Deinceps
sub Comitibus Holsatiæ Hamburga, Viris
& opibus aucta, crescere & florere cœpit.
Magno enim, postremo ex Hermanni Bil-
lingi posteris, Saxoniæ Duce mortuo, Lo-
tharius Dux Saxoniæ Adolphum Comi-
tem Schawenborgicum Holsatiæ & Urbi
Hamburgæ præfecit; qui usque ad A.D. 1137.
præfuit. Cuius nepos Adolphus III. profe-
cturus in Palæstinam cum Barbarossa, &
in signi ad eam expeditionem pecuniâ per

E Ham-

Lib. 2.
Sax. sub
fin.

Hamburgenses adjutus, amplissima Civi-
tati privilegia dedit, eorumq; confirmatio-
nem ab Imperatore impetravit: ne quis ar-
cem, intra duomilliaria, ad urbem ædificet:
ut immunes sint à vectigalibus in Albi, usq;
ad Mare, & ab omnibus bellioneribus Co-
miti Holsatiæ præstandis. Nec bona civium
uspiam in Holsatia interdicto detinere li-
ceat. Absente autem in Palæstina Comite,
Henricus Leo ex Anglia rediens Stadam
& Hamburgum recepit, & evertit Barde-
vicum. Reversus igitur ex Palæstinâ A-
dolphus auxilio Bernardi Ursi, Ducis Sa-
xoniæ, Hamburgum & Lubecam denudò
recuperat. Verum paucis post annis, Wal-
demarus Dux Sleswicensis, Hamburgum
& Lubecam, auspiciis Daniæ Regis, fra-
tris, Canuti VI. occupat; cum Adolphum
prælio victum antecepisset, qui renuncia-
re suo juri, qvod in Holsatiam habebat, o-
mni, & in patriam Schavvenburg, ex pri-
ori potentiae & dignatis gradu & Holsa-
tia totâ dejectus, redire cogitur. Hambur-
gæ Albertus Comes Orlamundensis (fra-
ter Adolphi uterinus) à Rege præficitur,
qui defientibus à Dano Holsatis & V Val-
demaro Rege per Henricum Comitem Sve-
ri-

rinensem capto, jus suum in urbe mille &
qvingentis marcis argenti vendidit Sena-
tui. Qvod libertatis Hamburgensium ple-
nioris secutæ initium fuit. Adolphus IV.
e Comitatu Schawenburgesi evocatus in
Holsatiam contra Danos, cùm V Valde-
marus Rex Daniæ ab Henrico Comite
Sverinensi captus esset, confirmavit liber-
tatem & privilegia Hamburgensium: &
Lubecenses, excusso Danorum jugo, se in li-
bertatem vindicantes cum aliis Principi-
bus adjuvit, ut profligatis ad Bornho-
vedam Danis, victoriâ insigne potirentur,
a qvô tempore Lubeca Urbs Imperii libera
fuit. Hamburga titulotenus sub Comitum
Holsatiæ imperio mansit. Hæc in vasto alio-
qvin opere, de retanta memorat, nec plura,
Chytræus. Huc accedit, qvod abjectè de
Billingio, & velut obiter de Schavvenbur-
gicis Comitibus ac Orlemundanis, gesta
illustrißima transmittant ad posteritatem
aliqui. Qvis enim, citra indignationem, fe-
rat ortum infimâ fortunâ & familiâ Billin-
gium, qvod cum Triumviris Saxonica-
rum rerum, Adamo scilicet Bremensi,
Helmoldo atqve Crantzio, Pantaleon,
Basileensis Medicus, Adamus Thraciger,

Christophorus (quis crederet?) Lehman-
nus, Thurius, Cornerus, aliquae credide-
runt. Itaque Johannes Stadtweg in historia,
adhuc scripto opere, idiomate vernaculo:
Otto de Erste scribit, verhögede einen armen
Man, de hete Herman und was Billinges Sohn/
de ward ein grott Tyranne/ und huwede den Berg to
Lüneborg und ward grott/ dat vele Vorsten und He-
ren van eme kamen. etc. Ex ordine Saxonicorum
Dynastarum Procerumq; Comes fuerat
Billingius, ut multis validisq; rationibus
ostendit in vindiciis, denominatis hinc,
Meibomius οώαννος. Illi ab Ottone M. qui
tum in Italiam suscipiebat expeditionem,
provincia Saxoniæ ad Albin Borealis,
cum Ducatus axiomate committebatur,
meritis fideq; probatissimo. Primum ta-
men nomine Legati, poste à peculiari adhæ-
rede transmittendo, gubernabat Nord-
albingiam. Posteritas ipsius hunc Saxoniæ
Ducatum supracentum quinquaginta an-
nos tenuit, Duce Magno denique familiam
claudente. Hujus filiarum una cum Duci
Bojariæ, Henrico Nigro, Guelphico nu-
psisset, altera Ottoni Ballenstedio, Solt-
qvellæ, contra Slavos, Marchioni, factum
est, ut inter generosashas familias deinceps,
propter hunc Ducatum, diuturnæ ac gra-
vis-

gravissimæ agitarentur lites; quas nontangimus. Extinctis masculis Hermanni posterris, Luderus, vel Lotharius Imperator, ex familia Dynastarum Querfordensium oriundus, nec, ut vulgo creditur, ex Wittekindi stirpe, Schauenburgio Comiti Adolpho I. contulit Holsatiæ Stormariæq; Comitatum, quod virtutibus & in toga, & in sago, unus plures superaret Heros. Pacis amantissimus, cum Vandorum Principe Henrico amicitiam fædusq; pepigit, ut populus Nordalbingorum ageret in tuto. Nam Gotfridus Comes, velut dictum, anteà Stormariæ, à Slaviscapite truncatus, & multitudo hominum ac jumentorum à latrunculis abacta illis fuit. Crantzio nunc attendamus referenti: Operæ pretium fuerit, Comiti de Scowenborg & Holsatiæ lineam retexere, quantum ex privilegiis permittitur, & literis repertis; nam scriptorum nemo fuit, qui eam diligenter referret in literas. Igitur initium hujus nobilitatis est ex industrio & forti Viro militari, Adolpho de SALINGSLEVE; qui, dum cætus Imperii agebatur in Minda, frequens aderat in concilio Imperatoris. Vacante Stormaria & Holsatia, Luderus Dux Saxonie, Adolpho ejus nepoti, aut proneptoti

F

(in-

(intercesserant enim anni plures, quam cen-
tum,) contulit eam quoque editionem. Ne de
pluribus solitus existam, gravem in his ver-
bis Cranzii errorem deprehendo. Salingsle-
vium origine Adolphum vocat Comitem,
qui non nisi Santerslebius dicendus erat. Si-
milis in Cyriaco Spangenbergio occurrit
lapsus; qui Adolphi patrem à Salingis Fran-
cis (ubi arx est Schauenstein) derivat. Sed, ut
monitum, Dynastæ Santerslebii de Santers-
leve dicti à Lerbekio, ab antiquissimis Wal-
becensibus Comitibus, (è quibus Marchio-
nes prodierunt Bernburgenses,) oriundi sunt;
ceuclarius ostendit Polyhistor Universitatis
Juliæ, ad Chronicon istorum Comitum. Ab
arce speculaque Schauenburg, quam condi-
dit, denominatus autem, & inauguratus
comes à Conrado Secundo Cæsare;
Erdwini testimonio in Mindensi Urbefuit.
Rexit laudabiliter cum Holsatia Hambur-
gum, quod memoriam retinet ac monumen-
ta Comitum Schauenburgensium, ad Divi
Petri Cathedrale Templum. Interea obser-
v. Georg. vat uest dignissimum hoc seqvens: „A. II 106.
Braun. Inclytus & Magnificus Princeps, Dominus „
in descr. Hamb. Luderus, Dux Saxoniæ & Westphaliæ, qui „
& Sege- berg. l. 4. postea Romanorum Imperator factus est, & „
oper. Lo-

Lotharius appellatus, contulit & dedit Co- „
mitatum Holsatiæ VVagriæ & Stormariæ „
vacantem, absque hæredibus, per mortem „
nobilis Kiri, Godefridi, dictarum terrarum „
ultimi Comitis, à paganis, pro fide Catholi- „
ca, cum multis Christianis Ministerialibus „
suis, propè Hamburgum imperfecti, Nobili „
Viro, Domino Adolpho, Comiti de Scom- „
borch, qui, & filii sui de tempore procreati „
ab illo tempore, usque in hodiernum diem „
prædictarum terrarum pacifici Domini & „
Comites sunt, & fuerunt, & post Carolum „
M. & Ludovicum ejus filium, Romanorum „
Imperatores & Francorum Reges, hujus „
Ecclesiæ secundi fundatores, & fidelissimi „
Fautores sextiterunt., Feralis memorabilis- „
que annus, post millesimum centesimumque „
sextus temerè non præteriri debet, quo Adol- „
phus omnium ætatis suæ optimus, cum Co- „
mite Reinoldo imperfectus est à barbaris.
Quò mortuò, totius regionis facies immu- „
tabatur. Laudes ejus & ingentem ex amif- „
fione luctum, Schauenburgensis recitat Hi- „
storia, confundens sæpius Adolphos. Cæsi „
hujus filius idemque ultimus impubes, ne „
omnino patriis possessionibus, id est, Holfa- „
tiâ Stormariâq; privaretur, mater Vidua
pro-

prospexit. Nam & tutorem illi procurabat,
pueri avunculum, prudentiam & fortitudine
incomparabilem Henricum, Comitem Thu-
ringiae Orlamundanum; cui, post annorum
aliquot decursum, cum ad legitimam et a-
tem filius Adolphus pervenisset, nupsit. Bur-
chardi quarti Dynastae Querfordensis filia
filio conservavit patrimonium; & ex Henri-
co alium deinde peperit, Albertum. Obiit
hoc tempore Henricus Orlamundae Comes
(ab Orilae Salaeq[ue] confluente, ubi arx inedi-
tissimo est monte) dictus, quo Henricus Leo,
& Albertus, Saxoniæ Palatinus, contra
Halberstadiensem Præsulem moverunt ar-
ma, Anno, post Virgineum partum, 1178.
Hæc postea occasio, vel causa extitit, cur ad
Comites Orlamundanos a victore Rege Da-
niæ, possessio Hamburgi transferretur.
Multa prætermittere silentio, ne vestrâ,
AUDITORES optimi, & maximi, bene-
volentiam videar abuti, cogor hic; quæ ad
Hamburgi statum publicum, jam in deteri-
us mutatu, jam in melius vicissim, spectant.
Notiora igitur non tangam, quæ ex seculi
unius & alterius Scriptoribus, jam tum ab
aliis congesta sunt. Istud memorare me oportet,
Adolphum III. nepotem primi Comite,
acce-

acceptâ pecuniæ ab Hamburgensibus sumâ,
ut cum Friderico I. Cæsare susciperet, in ter-
ram sanctam, expeditionem, privilegia am-
plissima, quæ Imperator confirmaverat, at-
tribuisse. Horum ille tenor fuit: Ne in Albi
Hamburgenses pensitarent vectigalia, ad
mare usque: ne ad ulla belli onera Holsatiæ
Comitibus obligarentur, ne cum interdicto
bonis vel personis etiam injicerentur manus;
(vulgò nominant Arrestum) nemini licet
intra duo millaria exstruere ab urbe arcē;
& similia. Ut mirum sit, cur ante centum, at-
que amplius hos annos, cùm agitaretur de
annona non impune omnibus, in Albi deve-
henda lis, ad vetustissimas non provocatum
sit immunitates Friderici? Apud Chyträum
eqvidem fit mentio, per spatum immemora-
bile præscriptionis & concessionis Caroli Au-
gusti IV. antiquior istamen nulla, in negotio
prolixè ventilato. Absente interim Adolpho
III. tentatur & evertitur ab Henrico Leone
oppidum, arx Hammenborgo firmissima,
(sic Lerbekius appellat,) quam muratoope-
re, idest, mænibus construxerat Adolphi
mater. Cum Lubeca nihilominus à reduce
recuperatur Comite, quem Dux Saxonie
adjuverat, Albertus Ursus variam experta

Lib. 24.
Sax. ad
An. 1580.

G pa-

patria fortunam, intercepta iterum Walde-
maro, Regis Daniæ, Kanuti fratre, captosi-
mul & abducto Comite, detento per bienniū,
sed liberato, propter castrum Leoburgum (quod
comuniter salutant Lauenburgum) resti-
tutum. Quia tamen per substitutus est à Rege
Daniæ; Orlamundanus Comes cum domi-
nio præfectus, centum quinquaginta semili-
bris, jura, quæ in Civitatem habuit, reten-
didit Senatui, contractu celebrato, qui ad
plenioris libertatis fundamenta struxit gra-
dum; secutus etenim Adolphus IV. approba-
vit omnia, & jura ampliora cumulavit. Sic
potius honoris observatiæ gratiâ reverenter
habuit Holsatiæ Dominos Hamburgum, ut
Anno 1570. contentio hinc nascetur adulto seculo supe-
riori in Comitiis Spirensibus; essetne amplius
obsequiis obnoxia auctoritati Principali
urbs? Taceo & beneficia, & onera tributa,
illi nomine Imperii ab Aula Cæsaris, volens-
que prætermitto nuperam inter Septentrio-
nis Reges Invictissimos & Potentissimos Ger-
maniæ Heroas, stabilitam pacem. Sed nec
meas facio has lites; quibus dirimendis omni-
bus terrestres illi Dii saluberrimè prospici-
ent; ut publica securitas Germaniæ, quæ
respicit Septentrionem maximè, in tuto collo-
ce-

cetur. Mihi nunc incumbit, ut, in sacro & ci-
vili statu, originibus commercia Hambur-
gensium, cum fædere Hanseatico, quo hæc
Imperialis civitas imprimis floruit (& opto
in perpetuum ut floreat!) subnectam.

Hansæ nomine antiquo Gothicæ, Semideo-
rum ordo, & qvicquid vel eximium, vel po-
tentestit, designabatur. Autore est in rebus
Gothicis Jornandes, Hanses, sive Anses Pro-
ceres Gothorum ac Heroës dictos solim: un-
denomina Ansgarii, Anshelmi, Ansegisi,
Ansefridi, Ansberti, & similia. Ansibario-
rum mentionem facit Tacitus. Hanse Mer-
catorum dicitur societas; quemadmodum
hanselled denotat imbutum mercimoniis. Sic
Hansæ Comes hodieq; notat Ratisponæ ju-
dicem, qui cognoscendis mercaturæ litibus,
præficitur. Et in antiquo Evangeliorum a-
pud nostros Codice: (ut post Junium in Ba-
tavia, Besoldus docet alibi,) Sie haben eine
Hansa wider Ihn gemacht, intelligendum de com-
muni fædere, aut consilio. Ut frustra ideo de-
rivent aliunde alii, Wehnerus, Bertius, Mat-
thias Stephani, Angelius à Verdenhagen, jam
ab Hayn, jam vicino mari Haye, vel Anseestätt.
Sive autem Friderici I. seu Secundi tempore
commerciorum hæc societas inceperit, non la-
bo-

*boramus in præsens. Viderint Thuanus,
Mettera, Bertius, Adelarius Erichius : hoc
nobis sufficit, absente in Italia & Palæstina
Friderico I. Cæsare, occasionem natam civi-
tibus antiquioribus, cùm mox à Vanda-
lis, mox à pyratismaris Baltici, Lubeca &
Hamburgum, item à Vicinis Regibus inter-
dum & Principibus infestarentur ; ut ad
libertatem pariter & immunitates alias tu-
endas, & commerciorum jura excolenda, in
commune fædus inter se coirent, plures pe-
detentim invitarent, extra etiam Germania-
nam admitterent, ad fædus formidabile
decurso seculorum Regnis & Imperiis. Nec
diffitendum est, cùm propter opes olim am-
pliores, tūm in primis propter opportunitatē
loci, inclytæ Lubecæ tribui debere primas.
Sic, ut gubernatrix inter cæteras habe-
retur digna, cui scripturarum omnis gene-
ris custodia committeretur. Anno sanè hu-
jus seculi consenserentis decimo & quarto, no-
mine fæderis totius Hansici ibidem publica-
tas reinauticæ maritimique Juris leges no-
vimus fuisse ; qvas insigni commentatione à
Secretis Gedanensium Kurickius illustriores
reddidit. Lubecam excipit ut dignitate, sic
comoditate situs proximum Hamburgum.*

Sin-

Singulas enumerare civitates Hansicas
prolixum nimis atq; tædiosum foret. Octo-
ginta numerat Thuan⁹, sexaginta sex Dres-
serus; observandum tamen, sedecim ejetas
Hansā civitates esse olim. Ita, propter capi-
tal' Brunsvigam fædere Hansatico ejeclam
proscriptamq; memorat Albertus Cranzius,<sup>sax. l. 9.
c. 39.</sup>
dum illi privilegiorum usu & communione
interdicebatur non solummodo, sed in empo-
riis prætereà illius Mercatores amplius non
tolerati sunt. Ex omnibus Vandalicis Ham-
burgum opibus potentiâq; eminet, ut Pome-
ranicæ Saxonicæq; urbes illi hactenùs con-
cedant primas singulæ. Commercia & divi-
tiæ Hamburgi non ex terræ quidem specu-
bus profundis eruuntur, sed è salo atq; solo
aliunde confluunt; in agris, pratis, bortis
efflorescuut, ex fluminibus, Oceano & sta-
gnis convebuntur, quanquam ex se sola bea-
tissima Holsatia Stormariaq; sit, ut non adeò
indigeat provinciarum aliarum copiam so-
licitare. Qvamenim in Germania mibi da-
bis urbem, imò in Europa, quæ & navigabi-
le recipiat in sinum suum flumen, & statio-
nem, navibus portumq; commodet, & quam
non ita procul spatiis porrectis æqvè accon-
tractis, adjuvet Oceanus ut erg; & vicinam
Cibronefum Cimbricam? quæ inter maria

H se

se velut interponit arbitram; ut ideo accipere tam Occidentis munera, quam Orientis,
quin & Boream conciliare Austro possit, ac
conjugere. In omnes orbis cardines ingen-
tia dimittit recipitque inde vela: merces ex
Hollandia, Britannia, Hispaniis Indorum,
bujus & alterius hemisphaerii, conjungit; col-
ligit frumentata bulata navium, suppeditat
in præparato semper arma, Viros, legiones,
nec Neptunum horret, neq; Martem expave-
scit. Horreum prætereà & sumen & delicia-
rum rariorum naturalium artificialiumq;
promaconda. Plurium se rerum hic admi-
randarū offerunt conspectui theatra, quam
reqviras in emporio: Hospitia Musarum, Ar-
tiū omnis ordinis gymnasia, magnificæ stru-
cturæ, Templa, Prytanéum, Curia, ædes pu-
blicæ, Cœnobia, Nosocomia, Armamentari-
um, Granaria, Orphanotrophéa, decoctorū
ergasteria, catastæ pro conciliatis infeliciter
conciliandis, egenorum item & expositorum
receptacula. Tot una alit incolas, quot multis
alioquin oppidis sufficerent. Extendit super
urbes alias, per Amphrititen, manus, sed ut
tueatur à pyratis atque invasoribus. Jam
quoties protensa habitaculis plateas, in sub-
lime consurgentia palatia celsasq; turres, ex-

tra

S.

H

tra civitatem ripas, bortos, prata, prædia,
vivaria contemplor, toties dominatricis ur-
bis consummatum aliquod exemplar intueri
mihivideor. Sed quid defixus in extera fa-
cie miraculorum hæreo? interiora si deside-
res, divinam humanamq; gloriam in scholis
publicis ac templis orthodoxæ fidei custodiis
invenias: Dædaleorum operum gazophyla-
cianon sine admiratione cernas, nummos ve-
teres, recentiores seu adulteratos raro, statu-
as, picturas, signa, tabulas; de quibus vel A-
pelles, Phydias aut Lysippus gloriari possit.
Tot Naturæ lusus & prodigia, tot species, quæ
monstradixeris, tot monstra, quot pro ordi-
nariis Naturæ mirabilibus habueris. Nec
quicquam de salubritate aëris, de munimen-
tis extra urbem validissimis, id est, Vallo, fos-
sis, propugnaculis similibus q;dixi; & veren-
dum mihi est, ne Vestrâ AUDITORES Ve-
nerandi, patientiâ abutar nimis. Magna
sunt hæc, fateor, immò immensa DEI benefi-
cia, in Patriam collatanostram; sed profe-
ctonibili habenda, nisi à Virtutibus, à legi-
bus, à cultu animorum pretium accedat:
Sicut enim in regenda domo fieri assolet, ut, si
quidem rerum omnium affluamus abun-
dantiâ, fortunis floreamus & amicis; salus

in-

Deo gloriess. diuinaq; p[ro]p[ri]es!

DIXI

interim familiæ periclitetur, jam à morbis,
jam discordiæ fomentis; sic cum magnis
comparatum urbibus ac gentibus. Hæ, nisi
ex præscripto, imperandi parendig, artibus
contineantur, suis illa pereunt divitiis ace-
vertuntur. Habitat (si Judæorum toleran-
tiam excipias) religio in Urbe purior, A-
stræa dominatur: sua bonis præmia, suppli-
ciaq, malis decernuntur. Judicia non, ut a-
libi locorum, & officia venalia, vel rabula-
rum protrahuntur fraudibus, vel incrstan-
tur dolis, aut prostituuntur; sed Laconicâ
simplicitate ac justitiæ compendiis expediuntur
facile. O Patria dulcissima! (ad Te me
ipsum iterum converto, ô Republica fortu-
nata, propriam perpetuamq, illam Tibi fa-
mam ac prosperitatem serva!) Servet tibi
Numen sui nominis intemeratam gloriam!
Servet Cæsarem sacrosanctum propitium!
Servet Te Imperio, Imperium acceptum
Tibi! Servet Magistratui & Legibus aucto-
ritatem, Civibus concordiam cum Patribus
& inter se! Conservet pacem publicam cum
exteris Principibus! Salubritatem incolis,
salutem omnibus eandem salutantibus &
apprecantibus, salutem mihi pariter meis-
que servet! Ita semper vigeas, sic scm-
per floreas, triumphes!

DIXI.



45
45
41

ORATIO PANEGYRICA
IN
HAMBURGI
LAUDEM
MORI
Solemni ritu
IN
ELECTORALI SAXONI
ACAD. WITTE
Ipso die Petr.
à
LAURENTIO
HAMBURGO
ANNO
cIc Ic



VVITTEB
Prelo FINC

